



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXVI. Variè à Deo exercetur beatus Ioseph.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

CAPVT XXVI.

Variè à Deo exercetur beatus IOSEPH.

MVLTIS talibus beatissimus iu-
 uenis beneficijs consolatus, &
 reuelationibus subleuatus, iam in vi-
 rum spiritalem profecerat; quem cibis
 solidioribus, & pane filiorum, & ipsis
 Dominicæ mensæ ferculis esset neces-
 sarium enutrir. Illos ergo panes hor-
 deaceos, quos ipse noster Paterfami-
 lias in manus suas accipere (tribulatio- Psal. 114.
 nem enim & dolorem inuenit pro no-
 bis, & infirmitates nostras ipse porta- Isa. 53.
 uit, & pro nobis doluit) nec non bene-
 dicere dignatus est, nostro IOSEPH,
 vt filio dilecto, copiosè diuisit. Flagel-
 lis ergo durioribus cinxit eum; intus
 dolore cordis, & foris corporis tribu-
 latione fatigans. Cùm enim apposuis-
 set ei scientiam cum charitate & zelo Eccle. 1.
 (quem erga cunctos, quos cognoscere
 potuisset, & Ecclesiam propriam &
 F vniuer-

vniuersalem, habebat) apposuit & dolorem, charitati & zelo æqualiter respondentem. Ex nimijs quoque laboribus & vigilijs (quibus modum transgrediebatur humanum) tantam corporis infirmitatem incurrit, vt stomacho lassescente, moles totius corporis turbaretur; cùm nullos iam cibos posset digerere, præ languentis stomachi cruditate, de quo fumi indecocti & crudi in cerebrum iam dudum exhaustum vigilijs euaporauerunt, & pænè incessantem illi molestiam capitis intulerunt. Tunc tandem illum ab omnibus necesse fuit officijs remoueri, & permitti, vt suæ, prout res postulabat, necessitati vacaret. Et licet vexaretur in corpore infirmitatibus, vsque ad defectum omnimodum; pro eo tamen, quòd iam reputaretur inutilis, & ad consueta officia exire non posset, multo magis in animo torquebatur: maxime, quia ipsemet sibi hunc dicebatur inflixisse defectum; qui in ineptis labo-

Varijs affligitur infirmitatibus & capitis doloribus.

laboribus, cum moneretur à multis, sibi parcere nolisset. Ipse quoque indiscretos labores suos in nostra praesentia nonnumquam postea reprehendit, & nos labores nostros temperare commonuit; semetipsum nobis proponens in speculum & exemplum. Et haec quidem, quantum ad hominem, dixerim. Quantum verò de divina datur providentia & ordinatione cognoscere, non insipienter intelligo, datum ei hunc stimulum carnis suae (quem B. Augustinus etiam in Apostolo quamdam acutissimam infirmitatem intelligit) quo colaphizaretur, ut puer; ne, ut iuuenis, superbiret, ipsam revelationum & magnitudine & multitudine extollente. Nec miretur aliquis, nos in aliquas tribulationes & dolores ex nostra indiscretionem decidere; in quas nos cadere, omnium Moderator, ex sua summa discretionem, permittit. Nihil enim dubium est, illum aliquando nostra insipientia (ma-

2. Cor. 12.

*Quare
Sancto suo
Deus tot
permiserit
afflictiones
evenire.*

ximè cùm non deest nobis voluntatis bonitas) benè vti; qui etiam malitia diabolica pro sua benè vtitur voluntate.

CAPVT XXVII.

Ab immoderato languore ope Sanctissime Virginis releuatur.

ACCIDIT itaque, cùm quadam die acriùs torqueretur, multorum illum Sanctorum suffragia implorare: sed ex hoc nihil fuit remedij confectus; puto, vt per illam dulciùs solaretur, cui se specialiter deuouerat specialem; imò magis, què illum sibi specialiter adoptauerat specialem. Igitur cùm ante maius Altare tortus infirmusque veniret, vidit super Altare residentem Feminam gloriosam: quam non agnoscens, & putans aliquam esse mortaliùm, cœpit non modicè indignari super tanta præsumptione temerariæ mulieris. Illa verò se Fideli suo

Videt in summo Altari Virginem beatam qua eum sanat.